Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Omnes enim agnoscere cupiebant, omnes audire desiderabant. Quis ad illum non letus advenit, aut quis ab illo non desideratus abscessit? Nam qui corpore eum videre non poterant, saltim epistolas eius contingere cupiebant. Erat autem suavis, blandus, in litteris dulcis, et bene suavis in versibus. Quid plura? Vix quecumque de illo dicuntur admitteret credulitas fidem, nisi compellerent sua facta mendacium. Taceam generis nobilitatem, paternis maternisque natalibus in senatorum purpuras admirabiliter rutilantem; preterea opulentias divitiarum, quas propter Dominum pauperibus erogavit. Sed veniamus ad ea que de obitu eius dicere cepimus.

Igitur cum iam sanctus Paulinus debitum Deo spiritum reddidisset, ita niveo candore vultus eius et omne corpus effectum est, ut omnes inter singultus et lacrimas benedicerent Dominum Deum nostrum, qui educit sanctos suos in magnificentia, ut ostendat servis suis quia hec est gloria omnibus sanctis eius. Et ideo laudetur in Domino anima eius, et revelentur opera eius omnibus temporibus, quia conceptum in mandatis Dei fuit, et intellexit super egenum et pauperem, ut potens esset in terra semen eius, et iusticia eius maneret in seculum seculi. Verumtamen hoc ad meritum sancti Paulini pertinere veneratio tua debet agnoscere, quod etiam sanctus Iohannes Neapolitane urbis episcopus a domno Paulino de hac vita ad Christum accersitus atque evocatus agnoscitur. Nam ante diem tercium quam de hoc mundo sanctus Iohannes ad Dominum commigrasset, retulit se vidisse sanctum Paulinum angelica dignitate vestitum atque ornatum, totum niveum, totum sidereum, atque odore ambrosio renitentem, favum etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi: Frater Iohannes, quid hic facis? Solve vincula tectorum tuorum, et tu veni ad nos. Hec enim esca quam in manu teneo apud nos satis habundat. Et cum hec dixisset, complexus est eum, et immisit in os eius partem favi illius. Cuius dulcedinem atque odorem ita sanctus Iohannes concupisse se dixit, ut si in ipsa revelatione potestas fuisset, ab eius vestigiis nullo modo recessisset, et tamen non diu dissimulavit. Nam excitatus a somno, eadem die, id est quinta feria, iuxta consuetudinem suam remunerans omnes clericos atque pauperes, et bibens letus dominicam cenam celebravit. Sexta feria orationi vacavit. Sabbato autem secunda hora diei ad ecclesiam processit, ascenso tribunali ex more populum salutavit, et salutatus a populo orationem dedit. Collecta oratione spiritum exalavit. Et tamen nocte in ecclesia vigilatus est; postea autem die, id est pasce, illuminatus lampadibus, cum ingenti neophytorum pompa prosequente, etiam turba usque ad sepulchrum gloriosam atque laudabilem sepulturam adeptus est. Hec ideo commemoravi nobilitati tue, ut etiam in memoriam sancti Paulini agnoscas. Habes enim materiam dicendi, si tibi non desit fides credendi. Et ideo queso nobilitatem tuam, ut sicut promittere dignatus es, preclari operis munus accelerare digneris, consecuturus premia laudis et glorie, cum vitam sancti viri posteris profuturam versibus illustraveris. Summa antequam perficiatur huius operis lectionis dignum me facias, quia si Christo placuerit, continuo navigare dispono. Obiit sanctus Paulinus decimo Kalendas Iulii.

F. ix K. Iulii.

Vita sancte Edildrudis virginis et regine.

Accepit rex Ecgfrid coniugem nomine Edyldrudam, filiam Anne regis Orientalium Anglorum, cuius sepius mentionem fecimus, viri bene religiosi ac per omnia mente et opere egregii; quam et alter ante illum vir habuerat uxorem, princeps videlicet Australium Gyruiorum Tondberecht. Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est regi prefato. Cui duodecim annis uteretur, perpetua tamen virginitatis integritate mansit gloriosa, sicut mihi sciscitanti, cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium, beate memorie Wilfrid episcopus referebat, dicens se testem integritatis eius esse certissimum; adeo ut Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si regine posset persuadere eius uti conubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est nostra etiam etate fieri potuisse, quod evo precedente aliquoties factum fideles

Vita sancte Edyldrudis virginis regine